

§. 2. In qua conductione victualium, justa series et ordo, per Magistrum victualium servetur, ne alter majoribus fatigiis gravetur.

Currus juxta priorem dicationem praestentur.

A r t i c u l u s 13.

Quia autem connumeratio et dicatio ipsa morosa fore videretur; victualia vero continuo necessaria sunt: Ideo conclusum est: Interim quoad Dicatores connumerationem ipsam perfecerint, penes priorem dicationem hujuscemodi currus servari.

Quibus in locis victualia deponantur?

A r t i c u l u s 14.

Loca depositionis victualium erunt: Veröcze, Ujudvar et Velike, donec aliter superinde provisum erit.

§. 1. Et altera pars Regni, quae est penes Dravum, videlicet Comitatus Varasdiensis, et ab illo Comitatu, usque ad Veröcze, hujuscemodi victualia, ad idem oppidum Veröcze: Altera vero pars Regni, videlicet Comitatus Zagrabiensis, ex utraque parte Savi, usque ad flumen Kupa, nec non bona Episcopatus Zagrabiensis, et pertinentiae Castri Monoszlo, ac integer portus, ad Velike: Tertia denique et interior pars Regni, ad Ujudvar conducere, locareque debeant et teneantur.

Victualia, ad confinia quomodo contribuantur?

A r t i c u l u s 15.

Insper, ne et castra finitura casu aliquo victualibus destituta maneant, defectaque victualium (quod facile contingere solet) jacturam patiantur, conclusum est:

§. 1. Ut universi Domini Magnates et Nobiles Regni, atque etiam Capitula, vigesimam partem frugum, tritici scilicet ac siliginis et milii, ad confinia ipsa contribuere teneantur.

§. 2. Ac dum Dicatores Regni in dicatione processerint, Dicatori Regio, hominique suo, coram judice Nobilium, unusquisque Dominorum, ac Nobilium fidelium, omnes fruges trituratas, et non trituratas, ostendere et demonstrare debeat:

§. 3. Ubi Dicator ipse, vigesimam partem earundem sequestret, et apud manus ejusdem Domini, vel Nobilis, relinquat.

§. 4. Quam tandem vigesimam partem frugum, singuli Domini, atque Nobiles, eo, quo Domini Bani jusserrint; propriis laboribus, fatigiis et sumptibus dare et deferri facere debeant, teneantur, et sint astricti.

Ecclesiasticarum personarum contributio deputata.

A r t i c u l u s 16.

Et quia tempore proximae expeditionis, personis etiam Ecclesiasticis parcere